







1736.

1. Alberti, Michael : De induciis medicis.
2. Alberti, Michael : De hysterogia medica
3. Bochmerus, Iacobus Henricus : De meritorum animae et corporis in stranis aegris conjunctione
4. Bochmerus, Iacobus Henricus : Usus et commoda pacis  
De praestanda erictione in causis privatis et publicis.  
- - - pacies - - et amici satnent.
- 5<sup>o</sup> Bochmerus, Iacobus Henricus : De finibus prærogionum  
reqviri. 2 Januarii 1736.
- 6<sup>o</sup> = Carrack, Iacobus Tolius : De cœceptionibus litiis, iugis,  
sum impeditibus justitiae implementis 3 Januarii  
1736 - 1748
- 7<sup>o</sup> = Carrack, Iacobus Tolius : De conflicta theoriae et præcessus  
litis 2 Januarii 1736 - 1755
8. Generus, Simon Petrus : De iudicio duplicitis ejusque genera  
conceptu.

- 8<sup>a</sup> Windhausen, Christianus Wilhelmius, &c : De fendo Gaster  
sive Germanorumque
9. Hinckius, Fr. Gotts : De pecunia in casum, si causa  
cesserint, ut ad pollentibus, Alioquin removet a lege  
deponens malum Sacramentum - Tultorum.
10. Knorrus, Carl Gottlob : De fabela practica Romana  
incognita dicitur simulque recitationes publicas.  
per mentis historias habendas iste posse jucundissi-  
mum est.
11. Langius, Joannes Tractinus : De obligatione delinquente  
et paucam corporis
- 12<sup>a</sup>. Lange, Joa. Tract. : De obligatione etiam do-  
lenti.
- 12<sup>b</sup> Michaelis, Christ. Bonet : De Daniela, Laudabilitate exempli  
typique triennii academicii
13. Schulze, Joannes Henricus : Dissertationis in quo medea-  
natis resolutionem causo hysterico - epileptici

1798

1796

2000

22  
m

DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAVGVRALIS  
DE  
**OBLIGATIONE**  
EDVCANDI SOBOLEM.

GERMANICE:

**Von der Verbindlichkeit**  
**die Kinder zu erziehen.**

QVAM  
METHODO NATVRALI  
CONSCRIPTA  
OMNIBVS PRACTICIS  
ET PRO SVMMIS HONORIBVS IVRIBVSQVE  
IN PHILOSOPHIA RITE CONSEQUENDIS  
D. XX. OCTOB. ANN. A SOTER. NAT. 1736.  
IN REGIA FRIDERICIANA

HABVIT  
**IOAN. GVILIELM LANGE**

LIPPSTADIENSIS  
SACRARVM LITTERARVM CVLTOR ET SOCIETATI  
LATINAE, QVAE IENAE FLORET, ADSRIPTVS.



HALAE MAGDEB.  
LITTERIS HENDELIANIS.

OBLIGATIONE  
VIRIS  
SVMME REVERENDIS EXCELLENTISSIMIS  
AMPLISSLIMIS DOCTISSIMIS GRAVISSIMISQVE

THEOLOGIS  
PRAESTANTISSIMIS ATQVE CONSVMMATISSIMIS

# MICHAELI ROLOFFIO

SUPREMI SENATVS SACRI QVI BEROLINI CE-  
LEBRATVR CONSILIARIO REGIO AD AEDEM S. NICO-  
LAI EOQVE PERTINENTIVM ECCLESiarVM SVMMO  
ANTISTITI ET INSPECTORI LONGE MERITIS.  
SIMO MERITISQVE GRAVISSIMO

JOAN CALIFELM LANGE  
PATRONO OMNI OBSERVANTIAE  
CVLTIV PROSEQUENDO

KOB 2-12

ORATORI IN HAOI  
VII

# IOANNI GVSTAVO REINBECKIO

SVPREMI SENATVS SACRI QVI BEROLINI EST  
CONSILIARIO REGIO COLONIAE EQVE PERTINEN-  
TIVM ECCLESIARVM SVMMO ANTISTITI ET INSPE-  
CTORI DE RE SACRA IMMORTALITER ME-  
RITO MERITISQUE GRAVISSIMO

PATRONO PERSANCTE VENERANDO

NEC NON  
**IOANNI CASPARO  
CARSTEDIO**

LEGIONVM AVGVSTISSIMI ET POTENTISSI-  
MI REGIS PRVSSIAE SVMMO ANTISTITI ATQVE IN-  
SPECTORI CELEBERRIMO LONGEQVE  
MERENTISSIMO

*PATRONO MAXIME COLENDO*  
PERENNEM AC DIGNAM  
TANTIS SANCTIORIS ERVDITIONIS ATQVE SAPIENTIAE  
STATORIBVS

PROSPERITATEM FELICITATEMQUE  
ADPRECATVR

ET HANC INAVGVRALEM  
SIMVLQVE SE ET STVDIA SVA  
OMNI QVA PAR EST MENTIS ANIMI VENERATIONE  
CONSECRAT AVCTOR

MAGNORVM ET EXCELLENTISSIMORVM  
*NOMINVM ILLORVM*

PIVS VENERATOR

IOAN. GVILIELM LANGE.



*Lectori aequo aequo, ac benevolo,*

*S. P.*

**I**Aec, quae tibi in manus traditur, differatio pugnat pro educatione liberorum eumque in finem a me est conscripta, ut partim Amplissimi Philosophorum Ordinis decretum haud secus, quam par est, observantissime conficerem & supremos in philosophia honores maiorum ritu rite obtinerem, partim quoque aliquid haberem, quod solemni eruditorum examini amiciter subiicerem. In hoc autem arguento pertractando eo libentius operam consumsi industriamque, quo impensis illud iis placebit, qui omnia ad felicitatem societatis humanae augendam, vel saltim confirmandam, cupidissime convertunt, gloriae Summo Numinis exhibenda cum studiose, tum libenter, inserviunt ea que omnem aequo sapientiae utilitatem, atque aliarum doctrinarum praestantiam & finem metiuntur. Neque etiam mihi fuit, quod mentem animi ab hac dulcissima materia revocarem, praesertim quum animadvertem, eam ab aliis, quantum ego quidem scio, nec ex instituto, nec ita esse expositam, ut mihi esset verendum, ne ad rem eandemque non necessariam, post aliorum messem, nimis magnum studium multamque operam conferrem, lucem luci adfunderem bisque, aut si mavis, centies repetitam cramben legentibus apponerm. Non enim

## P R A E F A T I O.

6

enim studiose solum dedi operam, ut aliorum cogitationes ex principiis ab his omisis lector intelligeret easque legibus naturalis ordinis demonstrarem, sed ipse etiam aliquot de hac obligatione demonstrationes excogitavi, excogitatas composui & ex compositis deinceps quasdam instituto aptas propositiones effeci. Quia autem cum in mea Exercitatione philosophica de obligatione utriusque sexus ad matrimonium in genere, tum in mea Continuatione memoratae Exercitationis, paucis ab hinc diebus in lucem emissa, multa reperiuntur principia, quibus veritatibus demonstrandis auctoritas conciliari potest, ea iterum & saepius producere, quum supervacaneum existimaverim, te ad datas scriptiones remittere, ut debui, volui, quarum primam litterae Exerc, alteram vero litterae Cont. indicabunt. Et sic his praemissis finem huic anteloquio imponebam, nisi sapientium praeceptis institutisque obtemperantur omnia, quibus verborum excitari potest disceptatio, essent declinanda. Ab hoc igitur officio, quod eo maiori cura & contentione tuendum duco, quo imbecilliores multi in eo esse solent, ne desciscere videar, ea prolatis in medium adiucere animus est, quae & interiora illustrant, & certis ea limitibus circumscribunt. Etenim est, quod te moneam, me in eo tantummodo fuisse, ut obligationem educationis liberorum fuscipiendae generatim expenderem eamque ex principiis, nullam dubitationem habentibus, variis vario modo elicerem: quod etiam mihi videor consecutus. Hanc ob causam item summorum quorundam virorum meam nec facere, neque in praesentia definire, urrum educationis obligatio perfecta, an imperfecta vocanda sit? neque ad eam dirimendam animum adiucere potui. Quam vero et si pro instituti ratione praeterarendam iudicavi, a me tamen impetrare nequeo, ut ad faventem obligationi perfectae sententiam, quam alunt SAM. PVFENDORFIUS Lib.IV. cap.XI. §. IV. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS in Exercit. de Iure hominum nasciturorum Altorf. cc lcccxxv. Sect.

Sect. I. §. XII. IOAN. CHRISTOPH. BECMANNVS in *Annotat.*  
ad GROTIJ *Iur. B. & Pac. Lib. II. cap. VII. §. IV.* atque ex parte  
GOTTL. SAM. TREVERVS in *not. ad PUFENDORF. de O.*  
*H. & Civ. Lib. II. cap. III. §. III. num. I. §. V. VI.*, viri aliqui  
uberrima scientia praediti, accedam inque hac re idem sen-  
tentiam, quippe quea tantum abest, ut rationis rationibus  
possit constabili, ut potius primis naturae principiis omni-  
no contraria videatur. Nam concedatur, procreatores  
obligatione perfecta ad sustinendam educationis curam ad-  
stringi, tum leges, quas vocant, strictas isti perfringunt,  
qui in educendis liberis nullum laborem nullamque diligen-  
tiam ponunt. Qui vero dictas pervertit leges, is suum al-  
terius capi eique & laetitionem infert & damnum. Atat ne-  
que alii, neque liberi minus habent suo, si parentes educa-  
tionis onus plane abiiciunt & hac ratione nec a lege suum cui-  
que tribuente discedunt, nec laesione, nec damno tertium ad-  
ficiunt, sed iusti iure meritoque in foro externo iudicantur.  
Quis igitur est, qui docere possit, suum parentum, quod libe-  
rorum educatione consumitur, esse suum alterius suumque  
prolis habendum? Quamdiu auxilium, quo sobolem comple-  
ti solent, ad suum parentum pertinet, tamdiu quoque dici ne-  
quit, eos obligatione perfecta ad officium educatoris non indi-  
ligerenter colendum graviter invitari. Proinde qui cum HVGO-  
NE GROTO in *Iur. B. & Pac. Lib. II. cap. VII. §. IV.* CHRIST.  
THOMASIO in *Fundament. Iur. Nat. & Genr. Lib. III. cap. IV. §.*  
III. CAR. GOTTL. KNORRIO, elegantissimo Iureconsulto, in  
*diss. de alimentis a matre liberis praestanais*, Halae 10CCXXV.  
*cap. I. §. II.* HENR. KOEHLERO in *Spec. II. Iur. Soc. & Genr. §.*  
CCLXIV. IOAN. IVSTINO SCHIERSCHMIDIO in *Element.*  
*Iur. Civ. Lib. I. Tit. IV. §. XIX.* PAVLO BERGMANNO in *diss.*  
*de Societaribus paterna, berili, domestica, Helmst.* 10CLXXXVI.  
Sect. I. §. XII. alii, qui accuratius multo veritatique convenien-  
tius hac de re scribunt, loquuntur ac sentit & hanc obligationem

imper-

imperfetam iudicat, is meam suo iudicio adscribat sententiam. Haec autem obligatio, quae liberorum educationem commendat, quamvis imperfecta, mea quidem sententia, appellari debet: fateor tamen ingenue, ad finem societatum maiorum feliciter consequendum requiri, ut eam princeps efficiat perfectam, idque eo magis, quo minus homines in virtutum luce versantur, interna honestate excellunt bonisque moribus reguntur. Non enim ubivis perfecti homines virtutibusque ornati offenduntur, sed cum iis est vivendum, qui non solum non officia praestant imperfecta, verum etiam perfecta susque deque habent, quod nemo, nisi contra experientiam niti velit, inficiari poterit. Praesumas, ait praestantissimus NIC. HIER. GVNDLINGIVS in Comment. de statu naturali HORBESII f. XVII. p. XIII., & fingas, quamdiu voleris, homines esse bonos, fingers, credo, semper praeftumesque in aeternum & mortalium perversitas interim Bacchanalia celebrabit. Ego quidem non is sum, qui pariter, ac ALESIVS, Francofurtanus primum & deinceps Lipsiensis Theologus, de impudicitia, teste laudato GVNDLINGIO in diff. maiorem a foeminis, quam a viris, requirente castitatem, Halae & IACCXVII. f. IV. p. XIV., iudicavit existimem, in eo principi esse laborandum, ut cives internae honestati convenienter vivant, sed tantum dico & affirmo, ab eo desiderari posse, ut, quum multi amori erga foetum, a natura ut generi animantium, ita humano, tributo, legibusque humanitatis minus minusque obedirent, nisi gravissimam principis auctoritatem malaque cum actione coniuncta sibi proponearent, diligenter efficiat, ne bono publico finique Reipublicae esse videatur. Quam ob rem etiam id mihi negotii datum esse credidi, ut non parentum modo aliorumque hominum obligationem confirmarem, sed & principis officium brevissime exponere, instituto meo non esse alienum sum arbitratus. At de his haec tenus, quum singula persequi non sit necessum, ac ideo haud tenebo te pluribus, ut ipsam adire possis tractationem.

De

De cetero eiusmodi iudicium a te expecto, ac a bono viro & in  
omni iudicio elegantissimo expectari potest, quod de hoc speci-  
mine expromas, ut vehementer etiam te atque etiam rogo, ita  
mihi illud tam gratum erit, quam quod gratissimum. Vale.  
Dab. in Acad. FRIDERICIANA d. XVI. Octob. Ann. a Soter.  
nat. CCLOC XXXVI.

## Q. F. F. F. S.

## §. I.

**P**ersonae, ex quibus alia existit, salutantur *parentes*. Ho-  
mines autem, qui ab aliis in lucem producuntur, nomen  
liberorum accepterunt. Homines ex iustis nuptiis, *le-  
gitimi*: ex prohibito concubitu, & stilo romano, ex  
concubina, meretrice, virgine, sive vidua, stuprata, ad-  
ultera & incestuosis denique amplexibus nati, ut docet Illust.  
IO. GOTTL. HEINECCIVS, Decus non minus iurisprudentiae,  
quam politioris litteraturae ornamentum, in *Syntagm. Antiq.  
Rom. Lib. I. Tit. X. f. XX. Adp. p. CXLVI.*, *illegitimi* dicuntur,  
& a Romanis duabus litteris S. P. indicantur, teste Ill. viro *l.c.*  
*f. XIX.*, quorum varia nomina commemoravit M. CHRISTIAN.  
WEISIUS in *diff. de Spuriis in Ecclesia & re litteraria claris cap.*  
*I. f. II.*, S. V. IO. GEORG. WALCHIVS tria genera ponit in *Le-  
xic. philosoph. & voc. Eltern pag. CCXVIII. & Kinder pag.*  
CCXLVIII. Qui a coniugibus in lucem eduntur, ei sunt *le-  
gitimi*: a concubinis, *naturales*: a scortatoribus vero *Spurii*.  
Ergo filii & filiae sive ex legitimo, sive ex illegitimo concubi-  
tu proveniant, pro liberis sunt habendi, dumne illis generis  
humani forma desit.

## §. II.

Studium parentum, ea exhibendi atque acquirendi, quae  
ad conservationem liberorum & felicitatem pertinent, seu,

B

paucis

## IO DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAVGVRALIS

paucis, quibus eorum status perficitur, dicitur parentum *cura* erga liberos.

### §. III.

Studium parentum, liberos flectendi, ut certis regulis actiones metiantur, *directio* actionum liberorum vocetur. Directionis autem finis in eo ponitur, ut liberi discant, qua ratione actiones illis sint regendae, quo statum sibi perfectum acquirere possint. Multos hic ipsam directionem cum fine confundere, docere nihil attinet.

### §. IV.

Ex confessis §. 2. & 3. definitionibus educationis notio facile conflare potest, quam tanto libertius compono, quo praestantius CICERONIS iudicium Lib. I. de offic. cap. II. *Omnis, quæ a ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione proficii, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, haud immerito iudicatur.* Isti autem liberos educare dicuntur, qui curam eorum habent eorumque actiones dirigunt. Ad educationem igitur & curam liberorum & directionem actionum requiri, palam est.

### §. V.

Societas, in qua coniuges de educanda sobole solliciti sunt, nobis est *societas paterna*, quae etiam *naturalis* vocatur. Hanc societatem conficiunt parentes & liberi, qui eam ob causam socii huius societatis vocantur. §. 40. 44. Schol. Exerc. §. 4.

### §. VI.

Liberi si in lucem vitamque suscipiuntur, nullis omnino gaudent requisitis, quae ad vitam conservandam tuendamque requiruntur & quid agere, quo se vertere debeant, ne sciunt. Lucem amitterent miseri certissimamque occumbentes mortem, nisi si alii de iis rebus laborarent, quibus eorum salus defendi potest ac confirmari, praesertim quum, si personae inveniuntur, qui sibi prospicere nequeunt & sola sustentare debent aliorum liberalitate, profecto sint liberi recessus.

## DE OBLIGATIONE EDVCANDI SOBOLEM. II

cens nati. Ergo aliorum cura & actionum directio eis quam maxime necessaria est §. 2. 3. & deinceps educatio §. 4.

### §. VII.

Summum maximumque Numen tam multa vult matrimonia, quam existere possunt §. 58. Exerc., etiam in praesenti §. 59. Exerc. Sine sociis autem singi & cogitari nequit coniugium §. 44. Exerc. Ergo quoque tam multos vult socios matrimonii, quam existere, etiam in praesentia, possunt.

### §. VIII.

Deus tam multos vult matrimonii socios, quam possunt, & in praesenti, existere. §. 7. Atqui matrimonium postular viros & foeminas §. 44. Exerc. Ergo Deus tam multos viros & foeminas vult, & in praesenti, quam existere possunt.

### §. IX.

Veneranda igitur & hic est sapientia altissimi Entis, qua nexum rerum ita composuit, ut non modo viri, sed & foeminae in lucem venirent. Habes praeterea rationem, & ut ego arbitror, haud reprehendendam, quam ob rem & infantuli & infantulæ lucem adspiciant necesse sit §. 8.

### §. X.

Socii, qui nova contraherent matrimonia, deessent: deessent, qui novos coniugii socios in lucem ederent, nisi alii liberos procreatos educerent §. 6. E contrario si eos educant, tum novos futuri matrimonii socios adesse, nemo ibit inficias.

### §. XI.

Ex educatione intelligimus, cur novi matrimonii esse possint socii §. 10. Summum vero Numen novos matrimonii socios, & in praesenti, vult §. 7. Ergo etiam liberorum educationem velit necesse est. Atque quia tam multos vult, quam esse possunt §. 7., eum quoque omnium liberorum, qui in lucem introeunt, educationem, & in praesenti velle, dubitari nequit.

### B 2

### §. XII.

12 DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAVGVRALIS

§. XII.

Liberi, qui in lucem suscipiuntur, sunt vel pupuli, vel pupulae, vel legitimi, vel illegitimi §. 1. Ergo Summum Numen & harum & illorum educationem desiderare, nulla eget disputatione §. 11.

§. XIII.

Veritas §. praec. etiam hoc modo potest comprobari. Liberorum educationem iis necessariam §. 6. Deus vult, ut societas humana novos habeat matrimonii socios §. 7. 11. Eandem vero ob rationem non modo mares, sed & foeminas vult & tam multos, quam existere possunt §. 8. Ergo Summum Numen educationem tam omnium puerorum, quam pusarum velle, qui non videat, esse arbitror omnino neminem.

§. XIV.

Deus educationem omnium liberorum §. 11, cum pusiorum, tum puparum, cum legitimorum, tum illegitimorum §. 12. 13. vult. Ergo etiam societatem paternam §. 5.

§. XV.

Ea omnibus omnino hominibus sunt facienda, quae cum voluntate Dei consentiunt. Ea e contrario illis sunt declinanda, quae voluntati eius adversantur.

§. XVI.

Deus non potest non, quin omnium liberorum velit educationem §. 11. 12. 13. Ergo homines ad liberos educando omnes obligantur §. 15.

§. XVII.

Ad finem Dei, quem non potest non velle §. 12. Exercitum multi homines requiruntur, quam existere possunt §. 14. Exercitum. Tam multi autem homines lucem non adspicerent, nisi essent, qui ad unum omnes procreatos liberos, & puellos, & puellas, legitimos, naturales & spurios, aliorum auxilium effectumque misericordiae expectantes, educerent §. 10. Er-

go

DE OBLIGATIONE EDVCANDI SOBOLEM.

13

go educatio omnium liberorum eo magis est necessaria, que minus, hac remota, finem Dei obtineri posse intelligimus.

§. XVIII.

Quicunque actiones suas fine Dei metitur, ille bonas: qui secus agit, malas edit §. 25. Exerc. Ergo quicunque educit liberos, ille bonam: qui non, malam facit actionem §. 17.

§. XIX.

Educatio ad finem obtainendum, quem Deus vult, est necessaria §. 17. Ergo quicunque est liberorum educationi adversus, eum malam committere actionem, appetet ex §. 25. Exerc.

§. XX.

Omnis ut suscipiamus bonas actiones, omnes e contrario malas ut evitemus, lege Dei obligamur §. 27. Exerc. Ergo ad educandos liberos homines obligantur §. 18.

§. XXI.

Quicunque liberorum educationi est contrarius, ille malam edit actionem §. 19. Ergo ne educationi adversi simus, lege Dei obligamur §. 27. Exerc. Hanc obligationem valde neglexit PHARAO, quippe qui non modo obstetricibus, verum etiam omnibus subiectis mandabat, ut pueros hebraeos, si in lucem venirent, e viventium numero exturbarent Exod. I. comm. XVI. XVIII. XXII. Neque etiam obstetrics male egisse, quum PHARAONIS verba negligenter, dici potest, utpote quas obligandi nullam habebat facultatem, ut eiusmodi factum, quod omnibus haud immerito videtur iustum, ederent. Etenim obligationis finis in eo ponitur, ut actio quaedam suscipiat illaque existat, sive declinetur. Quae autem existere debent, ad ea requiri, ut esse fierique possint, quem ignorare arbitrer? Ergo quicunque aliquem obligare cupit, is ei, quae fieri non possunt, praescribere nequit, quum satis manifestum sit, ad omnino impossibile neminem obligari, ut ait HVG. GROTIUS loc. cit. Lib. II. cap. XIII. §. VIII.

B 3

Quis



## 14 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

Quia igitur puerorum caedes cum naturali lege pugnat, re-  
ctae rationis lumini ac demonstratae obligationi adversatur,  
sequitur, PHARAONEM actionem voluisse, quae moraliter im-  
possibilis vocatur. Ergo nulla PHVAM SIPHRAMque obi-  
gandi facultate gaudebat, ut Hebraeorum pueros extingue-  
rent, actionem legi naturae repugnantem atque moraliter im-  
possibilem praestarent. Et ex his quoque possunt obstetri-  
ces hebraeae, ut multi iudicant, religioni addictae defendi,  
ab illis vitium mendacii esse nequaquam commissum. Men-  
daciun enim esse non posse, nisi sermo adsit a cogitationibus  
nostris alienus, qui alterum laedit, sapientium voces docent.  
PHARAONI vero nullam adulterulerunt laesionem obstetrices, id-  
que nemo negabit, nisi eum de vita puerorum statuere po-  
tuisse, sibi persuadeat. Vide sis IO. FRIDER. WEISSENBOR-  
NII *dissertat. de falloquenia obstetricum hebraearum* Ienae  
ccccc.

### §. XXII.

Quidquid rationem exhibet sufficientem, cur finis pos-  
sit existere, id dicitur medium schol. § 10. Exerc. Ergo edu-  
catio mediis finis Dei est adscribenda §. 17.

### §. XXIII.

Quicunque obligatur, ut ad finem obtainendum aliquid  
conferat, ille quoque, ut de comparandis adhibendisque me-  
diis, quantum fieri potest, labore, obligatur §. 3. Cont. Ergo ut media, ex quibus eto esse finis Dei intelligitur, acquirant,  
acquisitis utantur, adstringuntur homines §. 21. Exerc.

### §. XXIV.

Quicunque educationi liberorum operam dat, ille me-  
dium finis Dei efficit §. 22. Ergo de educandis liberis solici-  
tur finit, homines obligantur. § 23.

### §. XXV.

Nulla adferri posset ratio, cur Summum Numerum multa  
vellet matrimonia §. 58. Exerc., nisi liberi educerentur. Ra-  
tio

ratio autem adeat, si liberi educuntur, cur ea possit appetere  
§. 10. Ergo educatio continet rationem, cur Deus multa pos-  
sit velle coniugia.

## §. XXVI.

Ex educatione ratio est petenda, cur Deus multa possit  
matrimonia velle §. 25. Ergo inter coniugium & educationem  
est relatio, vi cuius alterum alterius exhibit rationem.  
Quia autem eiusmodi relatio nexus vocatur §. 1. *Cont.*, etiam  
inter coniugium & educationem dari nexus, obscurari ne-  
quit.

## §. XXVII.

Concedatur, nexus, qui inter coniugium & educationem  
deprehenditur §. 26. posse dissolvi, tum iterum nulla ad-  
duci potest ratio, cur Optimum Numen multa velit matrimo-  
nia §. 10. Ergo iste nexus disrumpi nequaquam potest.

## §. XXVIII.

Inter coniugium & educationem est nexus §. 26, qui  
nequaquam potest distrahi §. 27. Quia igitur homines ad in-  
eundum matrimonium obligantur §. 66. & Schol. II. *Exerc.*  
§. 19. 20. *Cont.*, sequitur, eos, qui huic obligationi convenienter  
vivunt, simul obligari, ut, si prolem accipiunt, educationi  
facient satis. Ergo coniuges ad educendos liberos constringi,  
lucide appareat.

## §. XXIX.

Ergo quicunque societatis coniugalis amplectendae cu-  
piditate ducitur, etiam, si ex ista liberi oriuntur, paternam ap-  
petat necesse est §. 28. 5.

## §. XXX.

*Omnia bona, quibus aliquis abundat, vocantur suum, seu  
proprium, seu nostrum.* *Suum autem alterius dicendum erit  
alienum.*

*Schol.* *Suum* vocatur *proprium*, quia res aliqua eo mo-  
do ad me pertinet, quo ad alios non pertinet. Atque facul-  
tas,

16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

tas, qua res quaedam ad aliquem eo modo, quo non ad alios, pertinet, dicitur *proprietas* & quidem in genere. Quae aliqui huic verbo subiiciuntur, scientissime observavit IAC. CAR. MON in diff. quae principia quaedam doctrinae de dominio exhibet, Rostoch. &c. Icc XXXIV. § XV.

§. XXXL

Suum, quo praediti sumus, vel natura in nos contulit, vel factum aliquod idque licitum adest, ex quo illius rationem cognoscere possumus. Illud vocamus *connatum*, hoc vero *acquisitum*.

§. XXXII.

Suum, quod aequali modo ad quosdam pertinet, dicitur *commune*.

§. XXXIII.

Suum commune aequali modo ad quosdam pertinet §. 32., & hac ratione plures simul sumti eo fruuntur. Plures hoc respectu personae unum repraesentant. Complexus autem personarum unum constituentium nobis est *persona moralis* §. 43. *Exerc.* Ergo ubi suum commune, ibi quoque sita adsit persona necesse est.

§. XXXIV.

Ergo suum pluribus personis unum repraesentantibus competens & deinceps factae personae, *commune suum* potest vocari §. 33.

§. XXXV.

Quidquid rationem, cur alterum existat, in se continet, *caussa* vocatur. Atque quidquid per actionem suam, cur alterum existat, rationem continet, nobis est *caussa efficiens*. At qui parentes usu instinctus naturalis sobolem producent §. 36. 37. 44. *Exerc.* Ergo etiam *caussae* sobolis efficientes possunt salutari, quamvis illud cum grano salis accipendum videatur.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Quidquid facto aliquo licito aliquis reddit existens, id pro suo acquisto habetur § 31. Atqui coniuges facto licito, facto, ad quod edendum obligantur §. 66. & Schol. II. Exerc. § 19.20. Cont., sobolem efficiunt existentem §. 35. Ergo soboles quo minus suum coniugum acquisitum possit vocari, nihil obstat.

Schol. Optime in hanc sententiam scripsit Summe Venerabilis IO. GVSTAV. REINBECK. Tom. II. der Betrachtungen über die Augsp. Confess. cap. XXI. §. XXX. Die Kinder sind der Eltern natürliches Eigenthum, indem sie von ihrem Fleisch und Blut abstammen: und ist nichts in der ganzen Welt, welches der Mensch mir einem solchen Recht als sein Eigenthum behaupten könnte, wie seine Kinder. Add. not. §. XXXIII. cap. cir. Pu- gnat etiam pro hac sententia ARISTOTELES Lib. VIII. Ethic. ad Nicom. cap. XII. *Quod ex aliquo ortum est, id ei quasi proprium est.* Atque optimi huius caussae patroni sunt HVGO GRO- TIVS l.c. Lib. II. cap. V. §. I. HENR. KOEHLERVS Spec. II. Iur. Soc. & Genz. §. CC. SCHIERSCHMIDIVS l.c. Lib. I. Tir. IV. §. II.

## §. XXXVII.

Soboles est finis communis societatis coniugalnis §. 40. 44. Exerc., finis personae fictae §. 43. 50. Exerc. Ergo soboles est suum parentum acquisitum idque commune §. 34. 36.

## §. XXXVIII.

Ergo procreata soboles aequa ad patrem, ac ad matrem & aequa ad matrem, ac ad patrem pertinet §. 32. 37.

Schol. Aliter, si factum adferri potest, quod patri potius, quam matri & versa vice sobolem adiudicat, existimandum est. Fac autem, illud non posse ostendi, tum soboles suum parentum commune habetur. Nam quod alterius fuit, id ut fiat meum, necesse est, aliquid intercedere, rectissime iudicat VARRO de reruſtica Lib. II. cap. I.

C

§. XXXIX.

## 18 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

## §. XXXIX.

Nostrum, quo gaudemus, ita nos uti oportet, ut aliquid ad gloriam Dei promovendam conferat & hanc ob causam medium finis Dei sit §. 12. 21. 25. 27. Exerc. Quod si autem ab hac via in agendo deflectimus, huius finis nullam ducimus rationem, sed ei adversam ac nostrae obligationi non facimus satis. Proinde quia soboles ad suum parentum pertinet § 36., sequitur, eos illo non aliter, ac ad gloriam Dei, uti posse, modo obligationi convenienter vivere velint. Hoc autem suo non aliter, ac ad gloriam Dei uiuntur, si sobolis educationem cupidissime suscipiunt §. 12. Exerc. §. 22. Ergo parentes ad educandam prolem obligari, manifestum est.

## §. XL.

Proinde qui liberos ita suum parentum esse sibi persuaderet, cuius corrumpendi facultate gauderent, eum a recta veritatis via declinare, me opinari ingenue profiteor. Tantum enim abest, ut tantam parentibus facultatem tradamus, quantum illis ratio, natura, Deus denegavit, ut potius, quantum eorum officio intersit, recens natos amanter suscipere, pro suscep- tis conservandis iuvandisque labores ac molestias recipere atque commoditati, saluti & felicitati eorum, quam aliqui attin- gerent nequeunt, §. 6. diligentissime consulere, aequus rerum aestimator haud dubie satis intelligat §. 16. 20. 24. 28. 39. 4. Sunt quidem liberi suum parentum, non autem ad perdendum, sed ad educandum. Haec si ita sunt, quemadmodum ea esse negari nequit, etiam multos non habere mihi affirmare posse videor, quod eam sententiam, que liberos suo parentum adscribit § 36., durissimam severissimamque iudicent, praeser- tim quum ex ea nihil, nisi quod non maximo felicitatem libero- rum muniat praesidio, effici possit atque confari. Et si illis paulo accutiori diligentia rationes subducere bonaque fide hac de re iudicare placeat, nihil nos defendere pervidebunt, quod se illi haud sit adprobaturum.

## §. XLI.

## §. XLI.

Qui legem, quam nobis natura praescripsit & imposuit, sanctam haud secus, quam par est, tenent, in illos multas redundare perfectiones, ex prima naturae propositione intelligimus. Schol. §. 8. *Cont.* Senius autem, qua adscitur anima, perfectionis nobis est *voluptas*, quae hic eo maior existit, quo maior est, ad quem legis naturae cultores pervenient, perfectionis gradus. Et quia voluptas insignis *gaudium* vocari debet, sequitur, legis naturae cultum esse cum gaudio coniunctum, quod eo minus evanescere potest, quo magis perfectionibus iisque veris oblectantur. Status vero gaudii duratione conspicuus idem est, ac *felicitas*. Ergo qui natam observant legem, eos felicitate abundare, mirum videri debet nemini.

## §. XLII.

Dispositio animae, percipiendae ex felicitate alterius voluntatis, *amor* vocatur.

## §. XLIII.

Natae legis haud ultimam esse propositionem, qua homines ad amandos alios constringuntur, tralatitium est multis que comprobare non necessum duco, quum eam, nisi quem prima naturae praecepta fugiunt, fugiat neminem. Interim adeant lectors *Exc. KOEHLERI Exercitae. Iur. Nat. f. Iccii. Iccxii.*

## §. XLIV.

Ergo qui se auctoritati legis naturae, cui est parendum, subiiciunt atque alterum amore prosequuntur, illos sibi statum efficere, qui esse possit felicitatis exemplum, docent §§. 41. 43. Ergo qui in id incumbit, ut felicitati alterius consulat, eum sibi ipsi felicitatem conciliare, dubitari non debet §. 41. 42.

## §. XLV.

Vt liberos ament homines eorumque felicitati inserviant inque altiorem locum perducant & illustriorem, lege naturae obligantur §. 42. 43. Hanc vero obligationem plane defe-

20 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

deserent homines, nisi si in iis educandis curam consumerent ac industriam, utpote quorum status alioqui calamitosam haberet faciem nihilque obstaret, quo minus vitam cum morte commutarent §. 6. Quia autem hanc relinquere & abiicere nequeunt obedientiam, quam iis felicitatis usum adferat §. 44, eos quoque vi amoris ad educandos liberos esse obligatos, certissimum arbitramur.

§. XLVI.

Amore homines invitantur ac adstringuntur, ut liberorum educationi operam dent §. 45. Quo maiora autem voluntatis ex statu alterius capienda motiva nobis sunt, ut alterum amore complectamur, eo maior habetur obligatio §. 16. Exerc. Atqui coniuges non modo qua *homines*, sed etiam qua *parentes*, rationes ad amandos liberos excitantes habent. Ergo coniuges quam maxime ad liberorum educationem esse obligatos, quilibet lubens mibi erit offensor. Conf. THOMASII Iurisp. Div. Lib. III. cap. IV. f. XLII.

§. XLVII.

Quia coniuges non modo qua homines, sed etiam qua parentes, adstringuntur, ut sobolis educationis curam sustineant §. 46, alios non ita, ac parentes, ad educandos liberos esse obligatos, sequitur. Ex quibus veritatem verborum S. R. WALT. CHII in Lexic. philos. voc. Eltern p. ICCCXIX intelligimus: *Die- se Mühe sind die Eltern, und keine fremde Personen, auf sich zu nehmen verbunden.* Ex his quoque ratio verborum Celeb. CHRISTIAN. WOLFII cap. III. f. LXXXI. der vernünftigen Gedanken von dem gesellschaftlichen Leben reddi potest: *Es ist kein Grund, inquit, vorhanden, warum die Kinder solches vielmehr von andern, als von ihren Eltern fordern sollen, wenn diese im Stande sind solches zu thun.*

§. XLVIII.

Eodem modo potest demonstrari, parentibus e vita discessis eos, quos liberi sanguine contingunt, esse in primis obligatos,

ligatos, ut relictorum liberorum curam suscipient, quippe qui non modo rationes moventes ex amore, sed etiam ex cognatione petere possunt. Atque hic gradus maiores & minores ponunt minorem & maiorem obligationem, quam vero sibi pauci ob oculos ponunt, adeo, ut de propinquis sine ulla haesitatione dici possit:

Rari quippe boni, vix sunt totidem, quot  
Thebarum portae, vel divitis ostia Nili.

§. XLIX.

Animantia ad studium in educando partu adhibendum natura commoveri mirabiliterque excitari, multis docere non attinet, quum illud inficias ire nemo possit. De hoc instinctu ita scribit IVSTINIANVS Leg. I. f. III. Dig. de iustitia & iure: *Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam ius ius non humani generis proprium, sed omnium animalium.* Hinc liberorum procreatio, hinc educatio. *Videmus etenim cetera quoque animalia, feras etiam, istius iuris peritiae censeri.* Et praecclare princeps romanae eloquentiae CICERO Lib. I. de officiis cap. III. *Natura in primis praecipuum quemdam amorem in eos, qui procreantur, ingenerat, ob eas causas studet parare ea, quae ad vietum cultumque suppeditent.* Neque minus de hoc animantium insigni & admirando adfectu optime canit MICHAELIS HOSPITALIS, cuius compositos versus adscribere haud supervacaneum duco. Ita autem sonant:

Aspice, quae sit cura lupae, vel quanta leaenae  
Pascendis catulis, aliarum quanta ferarum:  
Aut quam multa suis pro foetibus aspera miscent  
Praelia: quae dubitent proprio tentare periclo.  
Quanta deinde suos cum sollicitudine nidos  
Aedificant volucres, quanto molimine tutum  
Cum coepere locum: - - -  
Et super ova cubant tam longo tempore, donec

C 3

Ex.

22 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGURALIS

Exclusi veniant foetus in luminis auras.  
Inde cibos parvis & longe pabula quaerunt  
Dulcia in os gaudent in hiatumque indere manus.  
Hic amor in saevis est tigribus inque leaenis  
Nec iam ullum in terris animal agit illius expers.

Hunc naturae, quo abundant animalia, stimulum etiam sentire homines, in tanta rerum ignoratione, qui nesciat, neminem versari arbitror, dum eum indies observare licet. Ex variis parentum actionibus *apparet*, ut verbis M. TULLII Lib. III. de *fibibns utar*, *a natura ipsa nos impelli*, *ut*, *quos genuerimus, amemus*. Illustre nobis exemplum sistit SALOMO, qui naturalem *soeyny* tantam iudicabat, ut sibi ex ea iudicandum existimaret I. reg. III. com. XXV. sq. Et non iniuria. Ex verbis enim ipius Dei, hunc innatum erga natos amorem esse maximum, satis abunde intelligitur, utpote qui sub illius imagine suam eamque infinitam misericordiam proponere voluit E. XLIX. com. XIV. XV.

§. L.

Sunt quidem parentes, qui non omnem solum pro liberis curam temere abiiciunt eosque minime amans, ut ARISTOTELIS loquitur Lib. V. Eth. cap. XIV., *quaes ex se quiddam sint*, sed etiam plane deserunt, abiiciunt eosque immisericorditer morte adficiunt. Sunt parentes, qui non foetum modo bestiis dilacerandum relinquunt, sed & ipsi hunc dissecant, dissecatum feris canibusque obiiciunt. Quamvis autem eiusmodi parentes in hominum communitate inveniantur, in quibus ea merito desiderantur, quae in ceteris animantibus ratione destitutis possunt deprehendi, quum non facile offendri poterit bestia, quae foetum suum derelinquet, dilaniat, occidat: non est tamen, quod illis hunc naturae instinctum deesse, verum arbitremur. Etenim si horum actiones paulo perquiruntur diligentius, ex iis intelligitur, cur hosce infitos naturae humanae

næ motus coercere possint atque opprimere. Multi cum egestate constentur & sobolem sustentare nesciunt acceptam, quia illis saepius minus nihilo est, neque sibi imperare possunt, ut vel laborando, vel mendicando eam alant. Hanc ob causam prolem exponunt, ut alii misericordiae vi permoti eam suscipiant susceptamque pascant. Id haud ignorum fuit CONSTANTINO, qui ea de causa, ut cum HVBERO existimat III. HEINECCIUS l.c. Lib. I. Tit. IX. §. IX., sanguinolentorum venditionem permisit, postea vero egentibus e publico alimenta tradidisset. Alii sanguine foetus se minime contaminarent, neque ei spiritum vitamque adimerent, nisi fornicationis ignoriniam, existimationis & famæ maculam, coniunctam cum facto flagitioso pcam certumque educationis onus praesentirent. Haec mala, quae omnium sententia sunt gravissima ut illis imminent, ita ea probe perspiciunt, quorum cognitione in statum taedii plenissimum abripiuntur, ex quo ut emergat, omnibus industriae nervis quilibet contendit. Praeterea Summi Numinis gratiam, quam poenitenti impertire soler, sibi certo promittunt. Et quia mala praesentia animum hominis magis, quam futura flectunt, mirum videri debet nemini, cur cum liberis saepius parentes ita agere possint, ac si erga eos nullum a natura accepissent amorem. In hoc casu minor vis maiori repellitur, licet illa ex opinione hominum quorundam duntaxat maior vocanda sit. Interim non ita matrem vehementissimum naturae instinctum exuere posse credimus, ut, si vitae sobolis vim adfert, nullo commiserationis affectu tangatur, sibique temperare possit, quo minus cum MEDEA, quam matrum fingunt poetae crudelissimam, apud EVRIPIDEM exclamare debet:

O dulcis adiplicatio

O tenerum corpus anhelitusque suavissimus liberorum!

§. LI.

Innatum animantibus instinctum, curam eorum, quos pro-

24 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

procrearunt, gerendi, vocamus *sororum* & quidem *animalem*. Instum vero parentum animis amorem, & curam liberorum habendi & eorum actiones, ut media sint felicitatis, dirigendi, vocamus *sororum humanam* § 49.

§. LII.

Humanam *sororum* nobis rationem tradere, cur liberorum educationi inservire possiat parentes, satis ex notione data cognoscitur §. 51. 4. Ergo natura & deinceps sapientissimus naturae auctor Deus *trin* *sororum* hominum animis indere voluit, ut eos exuscitaret & ad educationis curam gerendam faceret alacriores. Ergo Deus hunc stimulum in hominum natura posuit, ut medium esset educationis. Schol. §. 10. *Exerc.*

§. LIII.

Deus pro absolutissima, qua abundat §. 7. *Cont.*, sapientia nexum, qui inter finem & medium offenditur, observari vult §. 5. *Cont.* Ergo non potest non velle, quin procreatores humanam, quam sentiunt §. 49. 51., *sororum* & diligentissime & cupidissime sequantur §. 52.

§. LIV.

Ergo parentes, qui soboli, parti priorum, ut vocatur, viscerum victimum praebent & amictum atque felicitati, quam sibi comparare nequit §. 6., quam maxime serviant, convenienter vivunt Summi Numinis sapientiae. §. 51. 53.

§. LV.

Ergo procreatores, qui educationem liberorum omitunt, aduersus altissimi Numinis sapientiam facere, in dubium vocari nequit §. 51. 53. 54.

§. LVI.

Ergo qui impediunt, quo minus parentes huic naturali stimulo satisfacere & obsequi possint, contra Dei sapientiam minuntur §. 53. Huius vitii exemplum fuit PHARAO §. 21.

§. LVII.

Parentes qui operam in educandis liberis ponunt, sapientiae

iae Dei vivunt convenienter §. 54. Qui e contrario nullam huic educationi dicant curam industriaque, eos sapientiae Summi Entis contraria facere, audivimus §. 55. Atqui omnes omnino homines sapientiae Dei congruerter ut agant eique nullo modo aduersi sint obligantur §. 9. Cont. Ergo etiam parentes vi innati amoris adeos educandos, quibus lucis dederunt copiam, esse obligatos, appareat.

Schol. Audiamus hac de re insigne IVSTINIANI iudicium L. unic. Cod. de rei uxoriae actione §. V. taceat fileat: *Ipse naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem portatur.* Et alibi L. VIII. Cod. §. V. de bonis, quae liberis in potestate patris &c. *Ipsum filium, inquit, vel filiam, filios, vel filias & deinceps aleve patri necesse est propter ipsam naturam.* Libet quoque, quae hanc in rem adpositae scribit PVFENDORFIVS Lib. II. de Off. Hom. & Civ. cap. III. §. II. adpingere: *Lex naturalis parentibus curam liberorum intinxit, quae ut eo minus negligetur, tenerrimum simul effectum in prolem natura iisdem implauit.*

## §. LVIII.

Coniuges in primis esse ad educandum foetum obligatos §. 28. 39. 46. 57. & propinqua cognatione coniuctos §. 48. atque post illos alios §. 16. 20. 24. habere, quod illis educatione liberorum curae sit, veritatis amator fortassis satis intellexit.

## §. LIX.

Cuicunque finis proponitur eum in finem, ut de illo obtinendo sollicitus sit, is simul obligatur, ut debitam in utendis mediis diligentiam ostendat §. 3. Cont. Ergo illis, qui ad educandam sobolem adstringuntur, nisi obligationem, qua cum coniuncta ipsorum est felicitas §. 44, gravissime laedere vellint, deadhibendis mediis est laborandum.

## §. LX.

Parentes obligantur, ut liberorum educationem praestent

26 DISSERTATIO PHILOSOPHICAT IN AVGVRALIS

§. 58. Ergo quoque eos esse adstrictos, ut societatem incant paternam, animadvertisimus §. 5.

§. LXI.

Eadem res commutatis principiis demonstrari ita potest: Societas paterna est medium, quo educatio obtineri potest Schol. §. 10. Exerc. §. 6. Ergo eam ingredi parentes oportet. §. 59.

§. LXII.

Ergo illis, qui ad educationem liberorum obligantur, omnia sunt fugienda, quibus soboles valetudinis potest amittere prosperitatem §. 59.

§. LXIII.

Ergo si proles in morbum incidit, omnia illis sunt adhibenda, ut ex incommoda valetudine emergat §. 59. 62.

§. LXIV.

Si parentes pro statu educationis onus vel ex parte, vel ex toto, praefare nequeunt, id illis est diligentissime agendum, ut alii illud sustineant §. 59. 58. Conf. THOMASII *Iurisp. Div. Lib. III. cap. IV. f. LXXII. LXXIII.*

§. LXV.

Praeter amoris stimulum matris provida natura dedit mammas easque ita composuit, ut infantia ad aliendum necessaria praeberent. Hanc ob causam in iis vasa huic fini obtinendo conspicuntur aptissima, quae ita sunt constructa, ut ex illis sine magno labore soboles saluberrimum vitae alimentum haurire atque mater hoc multis exoptatissimo amoris officio sine ullo sudore possit defungi. Praeterea non facultatem modo a natura accepit mater, ut suo lacte prolem nutrire possit, sed & suscepta in lucem sobole in mammis maternis necessarium sobolis nutrientium deprehenditur. Quae autem quam ita sint, eum in finem mammas maluerim a Summo Numinе esse productas, ut medium tenerrimae sobolis educandae tradarent, proclive satis videtur intellectu atque neminem, quin in eo

eo finis ponit debeat, modo O. M. Numinis sibi proponat sapientiam, facile dubitaturum confido §. 5. 7. *Cont.*

§. LXVI.

Mater a Deo accepit medium soboli quam utilissimum, quod ut ab illa ad finem, quem continet, adhibetur, sapientia Dei flagitat §. 5. *Cont.* §. 65.

§. LXVII.

Ergo mater, quae in gremio ac sinu foetum educare eumque uberibus alere recusat, ea neglit, quae cum sapientia Dei convenientiunt §. 66.

§. LXVIII.

Ergo matres, ut proprio lacte infantem alant, obligatas esse, apparet ex §. 9. *Cont.* §. 66. 67. Conf. WALCHIVS *l. c.* pag. ICCCXI. ICCCXII. Hanc propositionem aliis confirmarunt argumentis Cel. WOLFIVS *l. c.* §. LXXXIII. IO. FRI. DER. KÖLLING in *diff. de obligatione marum proprio lacte aleandi liberos.* Lips. & ICCCIX.

§. LXIX.

Ergo mater, quae haud rectam & huic medio convenientem vitam vivitatque hac lactivitum infert, sapientiae Dei adversatur §. 66. & huic obligationi non convenienter vivit §. 68. 58. 62.

§. LXX.

Ergo maritum, quippe qui aequa, atque marita singularem in tuenda foetus valetudine diligentiam adhibere debet §. 58. 62., impedire oportet, ne mater soboli lac impertiatur, cui vitium inest perniciosum.

§. LXXI.

Ergo mater, quae foetum aliis alendum committit, etiam si eum nutrire ac educare possit, neque ullum physicum, neque morale impedimentum adsit, obligationi suae est contraaria §. 68. Ergo si mater sobolem aliis lactandam tradit eo saltem fine, ne voluptatibus & vanitatibus quiddecedat, rum id cor-

28 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

*ruptos arguere mores ac obligationi matris naturali repugnare, satis quidem certum videtur. Haec sunt verba sagacissimi GOTTL. GERHARD. TITII, quae in Observ. Ixix. ad PV-*

*FENDORE, de Off. Hom. & Civ. leguntur.*

§. LXXXII.

Ergo si fontes, ex quibus soboles vitae succum haurire debet, aperiri nequeunt: si lacti malum noxiun adhaeret: si mater gravi cum morbo conflictatur, qui obstat, quo minus dulce soboli alimentum instillare possit: si natura matris a forma foetus deformiaborret: si denique enervatae corporis vires non permittunt, ut ad salutem prolis eam proprio lacte imperiat, parentes foetum aliis lactandum non modo tradere possint, sed & ut tradant, obligatos esse liquet §. 58. 59. 64.

§. LXXXIII.

Ergo parentes, qui sobolem exponunt, quin ab obligationis religione discedant, neque in officio maneant, non est, quod dubitem. §. 58. 5. 60. 61. Ac opportune hic in mentem veniunt verba PAVLI, ICti multis litteris ornati, qui in lege IV. Dig. de agnoscendis & aleandis liberis ita sentit: *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed & is, qui abiicit & qui almonia denegat & is qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non baber.* Hinc factum matris, quam MOSES habuit, absit, ut laudandum esse arbitremur, ut potius illud tamquam rationi, naturae & voluntati Summi Numinis adversum omnino reprehendamus Exod. II. com. III. Voluntati enim imperantis morem geramus, non est necesse, qui prohibenda praecipit & praecienda prohibet, qui actiones moraliter impossibilis, ad quas praestandas neminem obligari, in ore fere omnium versatur, postulat atque legibus divinis contraria iniungit. Huc spectat praestantissimum illud PETRI effatum act. IV. com. XIX.

§. LXXIV.

Ergo qui sobolem expositam offendunt & ab ea discedunt,

dunt, non faciunt id, quod debent facere ii, qui obligationem sancte & diligentissime colendam putant §. 58.

§. LXXV.

Ergo nimis duriter verberibus caedere liberos, ut in morbos vitaeque pericula incident, eosque mutilare non modo pugnat cum obligatione demonstrata §. 58. 62, sed & cum perfecta stare nequit. Conf. TREVER. in Not. ad PVFENDORF. l.c. §. IV. n. VI. VII.

§. LXXVI.

Posita obligatione, quia parentes sobolem educare oportet §. 58., posita societate paterna §. 5., ad quam obligantur §. 60. 61., illis proliis necandae facultas tribui nequit, multo minus admitti potest, ut eam in cibum adhibeant atque inter epulas apponant §. 2. 3. 4. Vid. TREVER. l.c. n. II.VIII. Haec iterum perfectae obligationi contradicunt, de qua autem in praesenti nobis non est sermo.

§. LXXVII.

Si parentes in egestate versantur, neque habent, quo factum, cui ab illis tradita est vita, alant, eos hunc oppignorare & alienare, hoc est, efficere posse, ut id, quod ad eos pertinet, fiat alienum, si aliter servari nequit, facile est ad intelligendum §. 59. 64. Album huic sententiae adiiciunt non modo calculum HVGO GROTIUS loc. cir. Lib. II. cap. V. §. V. GVILIELM. GROTIUS in Enchirid. de princip. Iur. Nat. cap. X. §. VI. p. CLIII. THOMASIUS in Iurisp. div. Lib. III. cap. IV. §. LXXXIII. GVNDLINGIVS in Iur. Nat. & Gent. cap. XXIX. §. XI. PVFENDORFIVS de Iur. Natur. & Gent. Lib. VI. cap. II. §. IX. & de O. H. & Civ. Lib. II. cap. III. §. IX. TREVER. loc. cir. num. III. & §. IX. num. II. IOAN. SCHMIDIVS in diff. an parentibus liberos suos vendere licet? Lipf. & I. C. NICOL. PRAGEMANNVS in Iurisp. natur. Parr. II. Exerc. IX. §. XXXIX. alii, sed etiam venditionem in servitutem concedunt. Tenendum vero est, eos alteri nihil permettere, nihil in alterum transferre posse, quo

D 3 ipsi

30 DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAVGVRALIS

ipsi non gaudent, quia ab eo, qui cum altero pacisci cupit, requiritur, ut suum sumat inque alterum transferat. Da igitur procreatores aliquid, quod ad suum prolis pertinet conatum §. 31. & quod illis natura non adiudicavit, alienare, tum legem stricte acceptam perfringunt, sobolem laedunt, damno adficiunt atque iniustitiae merito accusantur. Neque etiam a parentibus alterum aliquid pacto accipere, quod illi huic tradere nequeunt, ex eodem principio colligimus. Hanc obcausam non vereor, ut huic sententiae liberorum alienationem defendantis accedas, quippe quae non solum non liborum commodis officit, obstat atque ab iis aliena est, sed & illis maximum felicitatis adfert medium. Cave autem alienationem pro venditione habens. Haec quidem illam includit, illa vero sine hac esse potest, quod notiones venditionis & alienationis satis ac satis confirmant, quas docuit praestantissimus KOEHLERVS Exerc. VII. Iur. Nat. f. ∞ Ixxxiv. ∞ Iccxviii. Noli igitur existimare, me in celeberrimorum virorum, quorum mentionem inieci, sententiam transire. Neque eam defendo, neque meo arbitratu defendi debet, sed BOECLERO in notis ad GROTIUM pag. CCCCLXXXVI. BVDDEO in Element. philos. practic. parr. II. cap. IV. Sect. XI. f. IX. BECMANNO in Annor. ad GROTIUM Lib. II. cap. V. f. V. IOAN. GEORG. SIMONI in Animadv. ad GVIL. GROTII Enchirid. cap. X. f. VI. p. LXXXIV. KOEHLERO Spec. II. Iur. Soc. & Gent. f. CCXLIX. assentior, qui hanc negant. Etenim notio *venditionis* requirit, ut dominium rei *nostre* pro certa pecuniae summa in alterum transferamus. Si autem parentes sobolem in servitatem dividunt, tum non *suum*, sed *suum prolis connaturum* sumunt & hac ratione laesione ei adferunt & damnum. Atqui nemo & laesione & damno est adficiendus, sed suum cuique est tribuendum. Ergo parentes quoque sobolem in servitatem vendere nequeunt. Recte quidem HOBBESIVS cap. L f. VIII. tract. de Cive: *I ius, inquit, frustra habet, cui ius ad media*

*media necessaria denegatur, consequens est, ut unusquisque ius etiam habeat, utendi omnibus mediis & agendi omnem actionem sinequa id obtinere non potest, nullam autem, quod huic pro positioni adiiciendum, alteri adferre debet lesionem. At qui parentes quidem ius habent, omnia adhibendi media, quibus soboles sustentari potest & educari, venditione vero, quia hac, ut dixi, eam laedunt, tamquam medio, utendi, nulla gaudent facultate. Ponam quoque, parentes in necessitate vivere extrema. Neque ex ea colligitur ratio, cur foetum vendere possint in servitutem. Nam si alter prolem nutrire recusat, nisi hanc in servitutem tradant, tradant, ne intereat, sed non vendant & tum parentes ab omni in iustitia liberari debent. E contrario is, cui proles datur, leges violat perfectas, si ei servitutis iugum imponit, quod ea de causa soboles, si ad aetas maturitatem venit, a se depellere potest. Ad quae si attendere animum cuiquam placeat, is contentiones FELDENI, qui sententiam GROTHI in Annot. ad Iur. B. 8<sup>o</sup> P. Lib. II. cap. V. §. V. p. CLXIII. in controversiam vocavit & GRAVSWINCKELII, qui in stricturis ad censuram IOAN. a FELDEN p. CXXXVI. GROTIUM defendere voluit, nullo negotio ex his adlati dirimere poterit.*

### §. LXXVIII.

*Qui liberos alienatione, vel etiam venditione, accipiunt, illos non modo qua homines tantum horum educationi operae dare oportet, quantum non indiligentes debent educatores §. 58, sed etiam qua accipientes & emtores novam simul accipiunt emuntque obligationem in §. 39. demonstratam. In eo peccarunt veteres, quorum orationes liberos pauperum coemtos velut agnos, aut aviculas, in bonorem SATURNI maſtabant, ut refert PLUTARCHVS ιεραι της δαιμονιας.*

### §. LXXIX.

*Nemo a quodam potest ad contradictoria obligari: id quod praeceptis, quae Ontologia tradere solet, munitur. Quod si igit-*

32 DISSERTATIO IN AVGVRALIS PHILOSOPHICA

si igitur quis ad primum ex contradictoriis adstringitur, eum ad postremum & versa vice obligari non posse, res ipsa loquitur.

§. LXXX.

Ergo homines neque a Deo, neque a natura, neque ab alio possunt obligari, ut ea agant, quae cum educatione stare nequeunt §. 79. 58.

§. LXXXI.

Ergo Deus homines obligare neque potest, neque vult, ut liberos ad immolationem trahant eosque ferre nequit, qui sobolem ad sacrificium offerunt. §. 80.

§. LXXXII.

Ergo religio, qua homines obligat, ut sobolem ad sacrificium praebant, divinae voluntati est contraria §. 80. 81.

§. LXXXIII.

Ergo affirmari posse, nemo negabit, eos ab officio eo magis desciscere, qui sobolem ad sacrificium exhibent, quo insignitus obligationem perfringunt §. 76. Eiusmodi homines non modo ab obligatione interna §. 58, sed & externa plane recedunt, quod pluribus exponerem, nisi simul ab instituto aliena tractari deberent. Hoc autem vitio se contaminarunt veteres, qui SATVRNO liberos consecrare solebant & sacrae paginae idoli MOLOCH mentionem faciunt, cui reiecto Summi Numinis mandato *Levit. XIX. com. XXI.* proprium filium immolavit *MANASSE II. Paralip. III. com. XXVI.*

§. LXXXIV.

Ergo promissio, qua parentes se Deo ad aliquid praestandum obligant, quod obligationi, ab iis liberorum educationem postulanti §. 58, contradicit, ut servari non debet, ita Summum Numen eiusmodi promissum accipere nequit. §. 80. 81. His ita confessis quid de promissio IEPHTAE *Judic. XI. com. XXX.* sq. nimis generali sit indicandum, facile colligi potest.

potest. Vid. M. FRIDER. GVILIEL. LEMHVSII *diff. de quaest.*  
*an vota rescindere licet?* Lips. 1000. 1000. f. XXI.

## §. LXXXV.

Societas, cuius existentia ab uno momento ad nova progressitur, illa perdurat. E contrario cuius existentia accepto momento nulla capit nova momenta, moritur. Conf. KOELERI *Spec. I. Iur. Soc. & Gent.* f. XXIII. XXIV.

## §. LXXXVI.

Si matrimonia tolluntur, tollitur quoque societas humana, quippe quae sine sociis novis gaudere nequit momentis §. 85. 10. Hanc etiam ob caussam accommodate IEO imperator in Nov. XXVI. *Magnum sane, inquit, excellensque donum a Deo creatore ad mortales promanavit matrimonium: non modo enim naturae mortis ingluviei obnoxiae opem fert humano-que generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depascitur, non omnino deprire sinens, verum etiam per liberorum procreationem permagna aliqui hominum vitae praefat.* Item imperator IVSTINIANVS in prooemio Nov. XXII. *Si matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiose introducere & ex filiorum procreatione renovata genera manent iugiter Dei clementia, quantum est possibile nostrae immortalitatem donante naturae: recte nobis studium est de nuptiis.* Idem, seu, ut alii volunt, imperator IVSTINVIS, in Nov. CXL. in prooem. *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium, quippe ex quo liberi omnisque deinceps sobolis series existat, quod regiones atque civitates frequentes reddat, unde denique optimae Reipublicae coagmentatio fiat.*

## §. LXXXVII.

Si educatio tollitur, tolluntur quoque matrimonia, quae alioqui contrahi possunt §. 10. Ergo nisi socii societatis humanae liberos procreatios educerent, humana generis societas

34 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

interiret §. 86. Sit itaque magno CICEROi Lib. I. de off. coniugium seminarium Reipublicae. Nisi autem educatio effet, illud tale omnino non effet.

§. LXXXVIII.

Quum societas humana perire ac mori deberet, nisi si in ea suscepit in lucem liberi educerentur, qui illam postea alegrent §. 87., multo minus civitas, quae pro parte totius societatis humanae haud immerito haberi potest, consisteret novaque vita incrementa caperet, nisi insignem cives educationi recens natorum impenderent diligentiam. Hanc enim non contagiosi solum morbi &, quae eos excipit, mors, etiam si sit valentissima, debilitant, frangunt & enervant, verum etiam gladios hostium strictos vim civitatis minuere, infirmare penitusque convellere posse, quis ignorat? Eam etiam, nisi egregie fallor, ob causam hanc positam esse legem a ROMVLo, minime mirum est: *Quod natum erit, parentes tollunt*, quam nobis tradit DIONYSIs Lib. I. cap. XV., utpote cui eo magis copiae erant necessariae, quo maiori dominandi aliasque gentes in ditionem ac potestatem suam redigendi cupiditate ardebat, quam Clar. GEORG. CHRISTIAN. GEBÄVERVS in dissert. quae ROMVLVM observationibus variis generis illustratum sept, Lips. 1710. Cap. II. §. VI. raptu Sabinarum comprobavit. Praeterea Reipublicae finis & liberorum educatio arctissimum habent vinculum & ita inter se colligata sunt ac implicita, ut eum hac sublata incassum expectari, nemini esse possit obscurum, modo nexus finis & medii perspectum habeat atque exploratum Schol. §. 10. Exerc. §. 2. Cont. Quo pacto securitas, in qua tamen finis Reipublicae versatur, obtineri potest, si nullis abundat civibus, qui ad arma descendunt iisque cum hoste decertant ac cum vim certo imminentem, tum illatam, fortiter depellunt, ne quid detrimenti capiat & eorum impetu & furore labefactata corruat? Praeter securitatem felicitatis ex-

terne

ternae magna in civitate habetur ratio, qua autem uti fruique non possent cives, si societates civitati maiores deessent, ut obseruavit KOEHLERVS Spec. V. Iur. Soc. & G. f. CCCCLXXXII. Nullum igitur aptius huic fini, nullum accommodatius exco-gitari, ostendi ac laudari potest medium, quam liberorum e-ducatio: id quod experientia satis ac satis iam dudum com-probavit.

## §. LXXXIX.

Quum quilibet aliquid efficere possit, quod bonum publicum auget, vel saltem confirmat, etiam planum esse arbitror, ad finem Reipublicae consequendum non modo requiri, ut conservationi quorundam operam dent, verum etiam omnium, qui lucem adspiciunt, liberorum curam habeant ci-  
ves §. 88.

## §. XC.

Ergo est civibus civitatum eminentissimis, quod educationis a subiectis instituenda curam agant non mediocrem eoque diligenter respiciant, ut optima securitatis & felicitatis externae media quam diligentissime alantur. Et si verum est, quemadmodum illud verissimum esse aliunde constat, eos vi-pacti esse obligatos, ut omnem, quod aiunt, moveant lapidem, ne fini Reipublicae obtinendo deesse videantur, ab iis quoque solicite mentis effectum, qui ad educationem liberorum pro-movendam requiritur, desiderari posse, verum est §. 88.

## §. XCI.

Princeps dupli modo considerari potest & debet, pri-mum qua homo, deinde qua civis eminentissimus. Hoc praeclare nobis proposuit PLINIVS in panegyr. TRAIANI pag. III. Unum ille se ex nobis & hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat, nec minus hominem se, quam homi-nibus praesesse meminit. Ergo princeps non modo qua homo

36 DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

§. 58., sed etiam qua princeps est obligatus, ut educationis liberorum suscipiat curas, minime vero abiiciat §. 90.

§. XCII.

Ergo quae cum firma satis sint §. 91., nihil magis cum officio moderatorum Reipublicae convenire iudico, quam si in colligendis comparandisque mediis, quibus educatio confirmari ac muniri potest, singulare studium consumunt §. 59. Hinc ne ab officio, quod illis *to nvgov* imponit, recedant, merito vereor, nisi de liberorum educatione cogitent illisque hoc primum sit, ut eam sibi cives habeant commendatissimam.

§. XCIII.

Ergo princeps, qui malum cum intermissione educationis conglutinat, officium, quod cum summo accepit imperio, retinet §. 92.

§. XCIV.

Nexus malorum, cuius ratio ex voluntate principis pertenda, cum civium actionibus, ponit *obligationem civilem* §. 16. *Exerc.* Atque si cuidam propositioni obligatio civilis additur, oritur *lex civilis* §. 17. *Exerc.*

§. XCV.

Princeps, qui mala cum actione quadam coniungit, civiliter imperio subiectos obligat §. 94. Ergo ut educationi inserviant omniaque ei contraria intermittent, imperio obnoxios civiliter obligare debet princeps §. 93.

§. XCVI.

Quicunque propositioni cuidam civilem addit obligacionem, ille legem fert civilem §. 94. Ergo principi est, quod legem de educanda sobole constitutat eaque sanciat, ne subiecti educationi contraria agant. §. 95.

§. XCVII.

Ergo is, quem penes civitatis fasces sunt, habet, quod non

non modo sobolis expositionem non permittat, sed & eam gravissime prohibeat §. 91. 96. Hic mentionem facere possum ROMULI, qui legem condebat, qua potestati subiecti adstringebantur, ut masculos & ex formosissimo genere primo genitas educarent: id quod observarunt Illustr. HEINECCIVS *l. cit. Lib. I. Tit. IX. s. V. b.* Excell. KNORRIVS *in dissert. cit. Cap. I. s. V.* Quia autem foetus monstrofi, debilis occisionem & reliquarum filiarum expositionem non modo permisit, verum eadem etiam lege, quemadmodum vult Celeb. CAROL. FRIDER. HEINZIVS *in dissert. de eo, quod iustum est circa expositionem infantum Lips. loc. cxxxii. Cap. I. s. II.*, praecipit, laudari nec debet, nec potest §. 91. Alter de VALENTINO, VALENTE & GRATIANO existimandum est, quippe quos primos habet eruditissimus GERARD. NOODTIVS *in Julio Paulo, sive tract. de partus expositione & nece apud veteres*, qui parentibus facultatem sobolis exponendae ademerunt, cui quidem adsentiri nequit Consult. CORNEL VAN BYNKERSHOEK, cultioris iurisprudentiae lumen, *in dissert. de iure occidendi vendendi & exponendi liberos apud veteres Romanos*, huic vero esse ab illo, nimirum in peculiari opusculo de nece & expositione infantum, satisfactum iudicant Illustr. HEINECCIVS *l.c.* & Excell. KNORRIVS *l.c.*

## §. XCVIII.

Si liberi expositi inveniuntur, in id principi in primis esse incumbendum mihi penitus persuideo, ut ad vitam necessaria accipient & saluti Reipublicae servire discant §. 91. 92. Conf. HEINZIVS *loc. cit. cap. II. s. III. IV.* qui alias hanc propositionem argumentis demonstravit.

## §. XCIX.

Ergo imperanti esse enitendum reor, ut diligenter impedit, quominus subiecti imperio & obnoxii de medio sobolem

38 DISS. PHILOS. IN AVGVR. DE OBLIGATIONE ETC.

bolem tollant, sive morte adisciendam current §. 91. 92. 96.  
Atque in eo versari debet, ut parentes ad explendam educa-  
tionis obligationem, §. 58., ad societatem paternam ineundam  
impellat §. 5. 92. 96.

§. C.

*Quia autem, ut recte contendit PUFENDORF. de O. H.  
Civ. Lib. II. cap. XI. §. VI., fruſtra feruntur leges, si impune  
eas violari tolerent ſummi imperantes, niſi malis cum legis  
transgressione coniunctis eos adſciant, qui legem perlata-  
m conculcant, ſequitur, ut illis in transgressores legis de edu-  
canda ſobole conſtitutae diligenter ſit anima-  
advertendum.*

S. D. G.



CAN-

CANDIDATO  
DOCTISSIMO  
P R A E S E S.

**R**eddo TIBI TVAM, de *obligatione* *e-*  
*ducandi* *Sobolem*, dissertationem, eam-  
que prorsus non mutatam TIBI red-  
do. Neque enim primum hoc est, nec vni-  
cum diligentiae TVAE Specimen, quod cum  
erudito orbe communicas. Varia iam ex-  
stant doctrinæ TVAE testimonia, ex quibus  
facile apparet, TE cum viribus animi & cor-  
poris, a Summo Numine largiter concessis,  
probitatem & industriam haud vulgarem  
coniunxit. Vtinam vero multi hodie essent  
bonarum literarum cultores, qui fundamen-  
tis studiorum academicorum rite iactis, quod  
relicuum est vitae academicæ non luxui, aut  
ignauiae, sed utilissimis eiusmodi exercitatio-  
nibus tribuerent, idque agerent præcipue, vt  
DEO

DEO aliquando, patriæ & sibi ipsis rite per-  
actæ vitæ academicæ reddere queant ratio-  
nem! Perge modo, CANDIDATE DIGNIS-  
SIME! & campum eruditionis & virtutis semel  
feliciter ingressum, emetire feliciter: ita e-  
nim fiet, ut primis hisce vitæ academicæ præ-  
miis, de quibus in præsenti ex animo TIBI  
gratulor, noui semper addantur honores.  
Sic vale OCTISSIME LANGI resque  
TVAS omnes age feliciter. Scribebam in  
Regia Fridericana die XVI. Kal. Nouembris  
Anni M DCC XXXVI.

---

**L** Ando TVOS ausus: TIBI iucundissime LANGI  
Gratulor & tota gadeo mente mea.  
Vtque TIBI obtingant insignia praemia, digna  
Sedulitate TVA, quaeque, peropto: Vale!

Hac AMICO quam Candidissimo candidissi-  
ma mente scriberet voluit

CARL. GUILIELM. KLÖVEKORN  
I. V. C.

Bramasco Osnabrug.  
Opponens.








Halle, Diss., 1736

ULB Halle  
002 186 985

3



sb



B.I.C

B.I.C  
Black

A vertical ruler scale showing measurements in both inches and centimeters. The scale ranges from 1 to 19. Major tick marks are labeled at every integer unit. Between each integer, there are 10 smaller tick marks, creating 11 equal intervals of 1/10 inch or 1 millimeter. The labels are: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19. The word "Inches" is written vertically next to the first few tick marks, and "Centímetros" is written vertically next to the last few tick marks.



Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
3/Color								

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>C<sup>A</sup> IN AVGVRALIS

# OBLIGATIONE EDVCANDI SOBOLEM.

## GERMANICE

# Son der Verbindlichkeit die Kinder zu erziehen.

QVAM  
METHODO NATVRALI  
CONSCRIPSIT  
ET PRO SVMMIS HONORIBVS IVRIBVSQVE  
IN PHILOSOPHIA RITE CONSEQVENDIS  
D. XX. OCTOB. ANN. A SOTER. NAT. CCCLXXXVI.  
IN REGIA FRIDERICIANA

HABVIT  
IOAN. GVILIELM LANGE  
LIPPSTADIENSIS  
SACRARVM LITTERARVM CVLTOR ET SOCIETATI  
LATINAE, QVAE IENAE FLORET, ADSCRIPTVS.



HALAE MAGDEB.  
LITTERIS HENDELIANIS.